846.9 9

OFFICIVM
S. MARCELLINÆ VIRGINIS,

Monaſterij S. Ambroſij de Maxima de Vrbe Fundatricis.

DVPLEX.

A Sac. Rit. Congr. recognitum, & approbatum.

Ad vſum tantùm Monialium eiuſdem Monaſterij.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

ROMÆ,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.
M. DC. LX.

OFFICIVM
S. MARCELLINAE
VIRGINIS.

Monaſterij S. Ambroſij de Maxima de Vrbe Fundatricis.

DVPLEX.

A Sac. Rit. Cong. recognitum, & approbatum.

Ad vſum tantùm Monialium eiuſdem Monaſterij.

ROMÆ,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.
M. DC. LX.

Die xvij. Iulij.

IN FESTO S. MARCELLINÆ VIRGINIS.

DVPLEX.

Omnia de Communi Virginum exceptis iis, quæ hic apponuntur.

In primis Veſperis Antiph. Hæc eſt Virgo ſapiens,&c. cum reliquis Antiphonis, Pſalmis, & verſiculo de Communi Virginum.

Hymnus.

DEſponſa Virgo nobilis
Sponſo nitentis Patriæ,
Hac luce terris emigrans,
Felix adiuit æthera.
Dotale munus ſidera
Excelſa calcat greſſibus:
Collumque lucis aureæ
Sublime cingit torquibus.
Nunc gaudet inter cælites,
Quæ flendo vitam duxerat:
Ieiuna membra, numinis
Guſtando menſam, ſubleuat.
Quas ipſa terris liquerat
Opes paternas, ætheris
Has in perenni ærario
Inuenit auctas fænore.

Iugis voluptas ſenſuum
Neglecta penſat gaudia:
Et innocens quæ vixerat
Beata regna poſſidet.
Patri, pariique Filio
Dicamus omnes gloriam,
Paraclitumque Spiritum
Laudemus omni tempore. Amen.

Ad Magnificat Antiph. Veni ſponſa Chriſti &c.

Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de Beatæ Marcellinæ virginis tuæ feſtiuitate gaudemus; ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum noſtrum &c.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regem Virginum Dominum. Pſal. Venite exultemus Domino &c. Hymnus.

SPonſam ſiderei Principis inclytam
Laudemus merito carmine ſupplices;
Cui feſtis ſoboles candida cælitum
Certat plaudere canticis.
Hæc Virgo ſapiens, prouida temporum,
Accenſam Domino lampada detulit,
Et noctis tacito tempore ianuam
Pulſanti, obuia prodijt,
Terræ delicias, pabula criminum
Spreuit magnanimo corde viriliter:
Carniſque illecebras reſpuit, appetens
Cæleſtis bona patriæ.
Vt celſo fieret diues in æthere;
Vltrò diuitias, tectaque patria
Ceſſit virginibus omne ſua poſſidet
Felix præmia muneris.

Marcellina choris iuncta niualibus,
Lætatur ſuperi Regis in atrijs:
Et potat fluuijs fuſa perennibus
Aulæ gaudia fulgidæ.
Sit Patri imperium, qui regit omnia:
Sit, qui nos redimit, gloria Filio:
Sit laus Spiritui ſumma Paraclito:
Qui dat dona perennia. Amen.

IN I. NOCTVRNO.

Lectiones de Communi Virginum. De Epiſtola prima Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios. De Virginibus præceptum Domini non habeo &c.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio v.

MARCELLINA Virgo Romana patre conſulari, Sanctorum Ambroſij, & Satyri germana ſoror, ac natu maior, ab infantia totam ſe Chriſto obtulit. Patre orbata, in ipſamet paterna domo, vna cum Matre, ac fratribus diu ſanctiſſimè vixit. Aetate prouectior ſacras inter virgines adſcribi voluit. Quapropter natalitio Chriſti Domini die in æde S. Petri à Liberio Pontifice ſacrum de more velamen accepit, & Deo ſolemni ritu conſecrata eſt: ad quam tunc ipſe, tota Vrbe ſpectante, luculentam habuit orationem, cui initium eſt. Bonas nuptias, filia, deſideraſti. Qua de re idem Ambroſius agens. Hæc tecum, inquit, Liberius, quæ apud alios maiora verbis, apud te minora exemplis; ità omnem diſciplinam non ſolum virtute

S. Paulin. in vita S. Ambroſ.

S. Ambroſ. de virgi. lib. 3.

adæquaſti, ſed etiam æmulatione viciſti. Namque ieiunium in præceptis habemus, ſed ſingulorum dierum: tu autem multiplicatis noctibus, ac diebus innumera tempora ſine cibo tranſigis: & ſi quando rogaris, vt cibum ſumas, paulisper deponens codicem, reſpondes illico. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei. Ipſe epularum vſus, cibus obuius; vt edendi faſtidio, ieiunium deſideretur: potus è fonte, fletus in prece, ſomnus in codice. Tu autem &c.

Lectio vj.

Eius poſtea exemplo permotæ compluꝛes aliæ nobiliſſimæ Virgines, ſeſe illi vltrò adiunxerunt; quarum vna fuit Indicia ipſius Marcellinæ teſtimonio commendata; & Candida vitæ innocentia, morumque ſanctitate conſpicua. Quapropter paternam domum prope forum Piſcarium, non longè à Capitolio in Monaſterium Deo, in honorem Deiparæ Virginis, dicauit, atque optimis præceptis communiuit; quod ſub titulo S. Ambroſij de Maxima iuxta inſtitutum Sancti Benedicti ad hanc vſque diem, religioſæ vitæ obſeruantia perſeuerat. Hanc porrò ſacrarum virginum viuendi rationem admirans ipſemet Sanctus Ambroſius, ad Mediolanenſem Eccleſiam iam euectus, tres libros de Virginibus eiſdem inſcripſit; in quibus Sororem dilectiſſimam, ac ſocias huiuſmodi verbis affatur. *Hæc ego vobis, ſanctæ Virgines, nondum trieñalis Sacerdos, munuſcula paraui, licet vſu indoctus, ſed veſtris edoctus moribus: ſi quos hic flores cernitis, de veſtræ vitæ collectos legite ſinu. Non ſunt hæc præcepta virginibus,*

[Margin notes:] ...Ambroſ. de Virgin. lib. 3. — ... Paulin. ibi ſup. — ...ar. in vita S. Ambr. & martyr. Rom. 17. Iul. lit. ... — S. Ambroſ. lib. 2. de Virginib.

ſed de virginibus exempla. Veſtræ virtutis effigiem noſtra depinxit oratio. Veſtræ grauitatis imaginem, quaſi in ſpeculo quodam ſermonis iſtius cernitis refulgere. Vos ſi quam noſtro gratiam inhalaſtis ingenio: veſtrum eſt, quidquid iſte redolet liber. Tu autem &c.

Lectio vij.

SIngulas deinde præclaræ Virginis dotes commendans, ipſam meritò à Virgine, & Martyre Sothere, quæ iam ante deceſſerat, ipſique erat propinquitatis nexu coniuncta, hæreditario quodam iure ſpiritum ſanctitatis hauſiſſe affirmat. Ait enim. Sed quid alienigenis apud te, Soror, vtor exemplis; quam hæreditariæ caſtitatis inſpirata ſucceſſio, parentis infuſione Martyris erudiuit? Vnde enim didiciſti, quæ non habuiſti vnde diſceres? Conſtituta in agro, nulla ſocia virgine, nullo informata doctore? Non ergo diſcipulam (quod fieri ſine magiſterio non poteſt) ſed hæredem virtutis egiſti. Qui enim fieri poſſet, vt Sancta Sotheris tibi non eſſet mentis auctor, cui auctor eſt generis? Mox idem Ambroſius à Summo Pontifice Damaſo ad Romanum Concilium euocatus, apud Sanctam Sororem diuertit. Paulò poſt cum in Aphricam traijceret, & pro fratris incolumitate Sancto Laurentio Martyri votum Marcellina nuncupaſſet, ſuis eum precibus è naufragio liberauit. Tu autem Domine &c.

S. Ambroſ lib. 3. de Virgin.

S. Paulin.

S. Ambroſ

Lectio viij.

VErùm quanti eam ſemper fecerit Ambroſius, ex eiuſmet Epiſtolis comprobatur, in

Ambroſ. epiſt. ad Marcell. quibus nihil eorum, quæ in Mediolanenſi Eccleſia agebantur, ipſam de Arrianorum extirpanda hæreſi tunc maximè ſollicitam, vel cum longiùs abeſſet, latere patiebatur. Quam ob cauſam pia Virgo ad ſanctos fratres Mediolanum ſe contulit: Ambroſ. de Virgi. lib. lib. 3. vbi omnium virtutum genere admirabilem vitam traduxit; & ſenio confecta, cum adhuc corpori excruciando vehementiùs inſiſteret, his verbis commonentem fratrem audiuit. Hæc iunioribus conuenere annis, donec mens æui matura caneſceret; aſt vbi domiti trophæum corporis virgo ſubſtulerit, moderandum labori, vt magiſtra ſuppari ſeruetur ætati. Denum pijſſima virgo ſanctis fratribus ſuperſtes, anno ſalutis quadringenteſimo quarto ſextodecimo Kal. Auguſti meritis cumulata, migrauit ad Sponſum. Cuius ſacrum corpus Mediolani iuxtà Beatorum fratrum tumulum requieſcit. Eius autem Imago ob inſignis charitatis, & virginitatis meritum cum Face, & Lilio pingi à fidelibus conſueuit. Tu autem &c.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio ix. *Cap.* 25.

IN illo tempore. Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus; quæ accipientes lampadas ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi.

Ex Tract. in Pſal. 118. octon. 14.

HOc oleum lucet in tenebris, ſi opera noſtra luceant coram hominibus. Hoc oleum lucet in Eccleſiæ ſolemnitatibus. Quibus enim virginibus oleum non defuit, nec lumen fidei defecit; ſed cum lampadibus in locum nuptiarum introire meruerunt: quæ autem in vaſis ſuis oleum non tulerunt, hoc eſt non habuerunt fidem, non prudentiam, non miſericordiam, animæ in hoc conſtitutæ corpore merito infidelitatis excluſæ ſunt. Ideo & tu habeto ſemper lucernam ardentem, vel lucentem facem: ſi enim neque lucerna, neque lampas tua luceat, ſtulta virgo diceris, nec introibis in thalamum ſponſi tui ſuperioris, ſed remanebis in tenebris cæcitatis, quaſi qui oderis lucem, ne opera tua flagitioſa prodantur: Omnis enim, qui malè agit, odit lucem. Tu autem Domine &c.

Lectio x.

HAbeto fidem, habeto prudentiam: vt ſemper habeas in vaſis tuis oleum miſericordiæ, deuotionis gratiam; quia prudentes acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus ſuis. Vngite, ò virgines, lampades veſtras: cum ieiunatis, vngite caput veſtrum: infundamus mentibus noſtris oleum, vt corpus noſtrum lucidum ſit. luceat tibi ſemper lucerna Verbum Dei; luceat & lucerna corporis tui oculus tuus. Conſcientia tua lucens bene in hoc corpore, lucernæ lux eſt; ipſa eſt oculus tuus. Si purus oculus tuus, ſi conſcientia tua munda ſit, munda eſt caro tua: ſi autem in te eſt tenebroſa con-

ſcientia tua ; etiam corpus tuum conſcientiæ tuæ nocte tenebroſum erit. Tu autem &c.

Lectio xj.

LVcernæ ergo etiam nos ſumus toto operti corpore, vix aliquid exiguum habentes, vnde lucere poſſimus. Denique etiam Ioannes lucerna erat, ſicut dixit Dominus de eo. Ille erat lucerna ardens, & illuminans. Bona lucerna, quæ lumen accipiebat à Chriſto; vt lucere poſſet in hoc ſæculo. Meritò ardens, meritò illuminans; qui erat nuntius Chriſti; illuminans prædicatione fidei pectora ſingulorum. Sed, & iſtis lucernis dedit, vt lux mundi eſſent, dicens ad Apoſtolos: Vos eſtis lux mundi. Ergò ſi gloria Sanctorum nunc ſicut lucerna, nunc ſicut lux mundi fulget in hoc ſæculo: quid dicimus de verbo Dei; quod & lucerna eſt pedibus meis. Et fortaſſe ſecundùm legem, lucerna eſt verbum Dei: ſecundùm Euangelium lux magna eſt. Iudœis lucerna eſt, populo autem nationum lux eſt. Denique populo, qui ſedebat in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Tu autem &c.

Lectio xij.

APeri igitur feneſtras tuas, vt ſplendor tibi magnæ lucis introeat. Paratum fac candelabrum tuum; vt lux tua non operiatur integumento corporis tui, & menſura terrenæ huius fragilitatis: ſed ſupra menſuram corporeæ infirmitatis animæ tuæ virtute præfulgeas. aut ſi ad menſuram teneris: vide ne deficiant ipſæ menſuræ, nec ſuperfluant, ſed bonis ſeminibus ſint contentæ. Non ſit otioſus ſermo tuus, non ferietur, & vacet verbum tuum: ne fiat lu-

cerna